

## Coniectanea.

I Poeta ignotus. Priapeum illud *viticus aerari quondam* inter Tibulliana se in scheda vetustissima invenisse Scaliger testatus est, idem lapidi vetusto incisum fuisse testimonio optimo probatur CIL. V 2803, utrumque credere aequè difficile est atque alterum utrum certis argumentis refutare. volo simile aliquid proferre et in hoc tamen dissimile, quod epigramma sententiose factum facile intelligimus qui potuerit et a lapidario inscribi in monumento et a librariis propagatum in flosculorum aut aenigmatum aliquam transferri collectionem. ediderunt enim inter ineditas inscriptiones antiquas Melchiorrius et Viscontius, repetivit Henzenus Or. 7405 (CIL. VI 7574) hunc titulum Romae inventum ad viam Appiam anno 1817 et in horrea musei Lateranensis inlatum, superiore parte mutilum . . . *quo modo mala in arbore pendunt sic corpora nostra aut matura cadunt aut cito acerva ruunt. Domatius Tiras filiae dulcissimae.* carmen id esse narraui olim in Fleckeiseni annali a. 1858 p. 77 sed ut abstinerem ab instaurando versu longiore nec verba facerem nisi de *pendunt* forma verbi, quae non modo inscripta praeterea in sepulcro Cirtensi extat sed etiam metro confirmata in ecclesiasticis poematis, velut Aldhelmus in aenigmate de malo arbore hunc versum posuit *stipite de patulo dum penderet arbiter orbis.* iam id ipsum carmen repperi in altercatione Hadriani Augusti et Epicteti philosophi, qui libellus certe quidem ante Alcuini aut Bedae tempora compositus est, cuius exemplar Friderici Lindenbergii opera ex vetere quadam membrana descriptum et ab Henrico fratre Hamburgi a. 1615 editum in bibliothecae graecae volumine XIII iteravit Fabricius. ibi interroganti Hadriano quid sit homo, Epictetus sic respondet p. 23 Lindenbr. p. 561 Fabr.: *pomo similis. poma ut in arboribus pendent, sic sunt et corpora nostra, aut matura cadunt aut si [delevit Fabricius] cito acerba ruunt.*

disputatio regalis iuvenis Pippini cum Albino scholastico, in qua pars altercationis istius excerpta est et responsa multa in brevius coacta, non habet nisi haec verba: *cui similis est homo? pomo* (p. 34 Lindenbr. p. 579 Fabr.), in gestis Romanorum cap. 36 eandem regis quaestionem philosophus sic solvit: *similis est pomo novo, quoniam sicut pomum novum pendens in arbore, cum debet ad crementum debitum venire, modico tamen verme interius exorto corroditur et subito corruens inutile efficitur* (cf. Guil. Wilmanns in ephemeride antiq. germ. Hauptiana XIV a. 1867 p. 533 et 550). licet aptius sententiae videatur et concinnius quod ex ultima hac memoria aliquis enucleaverit *poma ut in arboribus pendentia*, standum tamen est ea scriptura quam tituli sepulcralis et ex ipsa antiquitate oriundae altercationis consensus confirmat, existimandumque si non ante Antoninorum aevum, at non multo posterius poetam de orationis metricae munditiis haud nimis sollicitum hoc fecisse ac populo probasse distichon

*Mala ut in arboribus pendent, sic corpora nostra  
aut matura cadunt aut cito acerba ruunt.*

Non est carmen, etsi Lindenbrogius pro carmine, ut opinor, iambico habuit, quod legitur sub finem altercationis p. 31: HAD. *quid est amicus? EP. pomo citreo similis, foris beatus, nam intra pectus acidum occultat malum.* sed unum tamen praeter versus illos quos editores non animadverterant inest epigramma duobus hexametris comprehensum p. 28: interrogavit Hadrianus *quare Venus nuda pingitur?* Epictetus respondet

*Nuda Venus picta, nudi pinguntur amores:  
quibus nuda placet, nudos dimittat oportet.*

qui versus cum sententiam scitam inscite reddant, haesites quantum culpae dandum sit ei qui primus carmen finxit, quantum ei qui transtulit in altercationem, quantum denique ei qui illi ipsi mandavit chartae. in priore tolli opus est *picta* velut hoc modo *nuda Venus, nudi pueri pinguntur Amores*, posteriorem iam tertio p. Chr. saeculo fieri potuit ut sic aliquis contexeret Syrorum aut Afrorum licentiam imitatus, nos vero tolerabilem poetam non iudicamus qui neque apte nec perspicue concludere versum potuerit: *exibit nudus cui dea nuda placet.*

II Victor grammaticus. huius Priscianus instit. gr. I § 19 meminit, ubi *Pompeii* genitivum per tria *i* aliquando esse scriptum narravit, his usus verbis *quod Caesari . . . placitum a Victore quoque in arte grammatica de syllabis comprobatur.* eundem Rufinus Antiochensis VI p. 573, 26 K. una cum Victorino aliisque

multis qui de numeris latine scripserint sic nominat *Donatus Victor Servius*. pervolgatum quidem Victoris nomen erat saeculis inferioribus, tamen quoniam et nobiliorem hunc fuisse grammaticum videmus nec superiorem illa aetate qua litterae latinae earumque disciplina Constantinopolin commigrarunt, eundem credo quem Zenobius quidam grammaticus tanquam praestantissimum artis suae exemplar conlaudavit in AP. IX 711 hoc elogio: *αὐτὴν γραμματικὴν ὁ ζωγράφος ἤθελε γράφαι, Βίκτορα δὲ γράμας 'τὸν σκοπὸν' εἶπεν ἔχω.*

III Horti Sallustiani, amplissima et delicatissima villa a Nerone Caesaribusque habitata quam partem urbis occuparint multis indiciis constat: militum agmen via Salaria portae Collinae adpropinquantium Vitelliani arcent stantes ac pugnantes in hortis Sallustianis, donec circumveniuntur ab equitibus qui porta Collina irruerant (Tacitus hist. III 82), tantum nunc meminisse satis est. paraverat hortos et adornarat Sallustius rerum romanarum scriptor, hereditate accepit adoptatus ab illo sororis nepos, is quem Horatius celebravit notissimo carmine *inimice Iamnae Crispe Sallusti, nisi temperato splendeat usu*. eum ipsum esse, non alium hominem cuius liberalitatem eximiam Crinagoras poeta Caesari Augusto remunerandam commendavit in anthologia Planudea app. IV 40, olim vidit Geistius, neque tamen graeci epigrammatis facetias aut ille aut Otto Iahnus Hermae II p. 246, nedum Planudes penitus percepit. hoc ei est principium: *γέιτονες οὐ τρισσαὶ μοῦνον Τύχαι ἔπρεπον εἶναι, Κρίσπε, βαθυπλούτου σῆς ἔνεκεν κραδίης, ἀλλὰ καὶ αἱ πάντων πᾶσαι· τί γὰρ ἀνδρὶ τοσῶδε ἀρκέσει εἰς ἐτάρων μυρίον εὐφροσύνην;* nimirum hortis Sallustianis, in quibus Crispum aetatem egisse consentaneum est, vicinae erant *tres Fortunae*, earumque nomen ad designandam illam regionem in usu erat, sicut foro proxima tria Fata et in aliis urbis regionibus alios vicos a Fortuna aliqua dictos novimus. testis mihi est Vitruvius III 2, 2 *huius aedis quae in antis dicitur exemplar erit ad tres Fortunas, ex tribus quae est proxime portam Collinam*. tribus his Fortunis poeta cum opponeret *τὰς πάντων πάσας*, id genus Fortunarum respexit quod ab hominibus Romani denominare consueverant, qualis erat Torquatiana Esquiliis. *μυρίον* qui ad *εὐφροσύνην* adiungunt quasi infinita dicatur benevolentia, licet in grammaticam partem nihil peccent, sententiam artemque Crinagorae non videntur adsecuti: interpretor equidem *quae huic satis erit infinitas ad iuvandos amicos?*

IV *Εἰκλής*. in Osca inscriptione prope Agnone reperta quae signa arasque in luco Cereris positas enumerat, prima deorum

nomina haec sunt casu dativo pronuntiata: *Vezkeí, Evkloí, Kerrí*. Cereris nomen luce clarius est, *Vezkeí* adhuc tenebris involutum, sentio tamen etsi certa ratione demonstrare nequeo, deum illum sive dea fuit, cui locus primus datus est gensque Ausonum Vescína originem debet, non longe abhorruisse a Vesta et Vesticio numinibus Latinorum et Vmbrorum. sed enim de tertio nomine nunc disserere lubet. ipsum vocabulum iam alii coniecerunt expressum esse ex graeco *Εὐκλω* vel *Εὐκλεῖ*, nam Osci ut *Θησαυρόν* transformarunt in *thesavrom* et Loucium Lucium in *Loukim* vel *Loukim*, ita pro *Εὐκλ-* non potuerunt non *Evkl-* substituere, Graecos autem certissimum est promiscue dixisse *Ἰφικλος Ἰφικλῆς, Πάτροκλος Πάτροκλῆς, Δήμοκλος Δημοκλῆς, Ἐτέοκλος Ἐτεοκλῆς* et cetera. quae verba sunt Ruhnkenii enarrantis hymnum in Cererem Homericum, in quo heros Eleusinius, Megaricus deus *Διοκλος* nominatur versu 153, *Διοκλῆς* v. 453 et 456. neque incredibile foret Alexandrinum poetam scripsisse etiam *Ἡρακλε χαλκόςωνε*, quemadmodum Itali *Herclom* a Graecis acceptum praeter Latinos omnes tenuerunt, dum ne expositio grammatici qui carmen memoriae prodidit huic scripturae fidem derogaret (Schneiderus Callimachi II p. 732). iam qualis deus Eucles fuerit, quia parum expedit id quod plerique faciunt interpretari Inlutum, coepi adsequi ductus et cognomine quod inferius ei in titulo illo adtributum est *Evkloí pateret*, et ordine quoniam supra proximus a Cerere cernitur, coniunctus praepositusque deae quam Samnites non modo frugum ac florum, ut idem ille titulus ostendit, sed etiam mortis umbrarumque potentem habebant, ut comprobarunt dirae plumbo inscriptae a Vibia. memineram cum aliorum nominum placida comitate ac splendore occultari magis quam retegí deorum inferum vim horrendam, tum *Κλίμενον* quod Eucli vocabulum est simillimum, Hermionae quae civitas Cererem diligentissime coluit, et in poematis graecis *τὸν ὑπὸ γῆν βασιλέα* nuncupari (cf. Welckeri myth. gr. II p. 487), aequavi igitur Euclem Diti patri. non opus est arcessere Troianarum Thebanarumve fabularum heroes aut Dianae *Εὐκλείας* rimari causas, firmavit mihi iamdudum coniecturam Hesychii glossa haec: *εὐκλῆς. ὁ ἄδης καὶ ὄνομαστὴς καὶ εὐειδής*, ubi Orci vocabulo nollem editor adscripsisset *εὐκλήης*, bene obseratus, nam auctor glossae suo iure in unum coegit Plutonem et celebrem, *Εὐκλῆς* et *εὐκλεής*, neque cul-pae quidquam commeruit nisi forte hoc quod non distinxit accentus. locupletiore autem nunc ex ipsa Italia testem nactus sum, postquam in sepulcris Sybaritanis inventas lamminas aureas Fiorellius a Barnabeo et Comparetío adiutus in lucem edidit (*Notizie degli scavi*

1880 Aprilis mensis p. 155 ss. tab. VI), in his enim Eucles conexus cum regina inferorum et Eubuleo, quod nomen Plutoni esse additum omnes sciunt, evidenter Orcinum deum sive dominum sive imperii participem significat, quam ob rem interpretes doctissimus cum aliud eius dei vestigium non deprehendisset, Zagreum sacris Orphicis celebratum aut sub terra versantem Bacchum intellegere voluit. describam unius lamminae versus, eius quae sordibus orationis ac scripturae minimis infecta est, omittam autem verba pietatis studio insipide iterata nec litteras sic ut rusticana dialectus extulit integras servabo.

ἔρχομαι ἐκ καθαρῶν καθάρᾳ, χθονίων βασιλείᾳ,  
 Εὐκλῆς Εὐβουλεύς τε καὶ ἀθάνατοι θεοὶ ἄλλοι,  
 καὶ γὰρ ἐγὼν ὑμῶν γένος, ἄλβιοι, εἴχομαι εἶναι·  
 ἀλλὰ με Μοῖρ' ἐδάμασσε κατ' ἀστεροβλήτια κεραυνόν·  
 κύκλου δ' ἐξέπταν βαρυνενθέος ἀργαλείοι,  
 ἡμεροῦ δ' ἐπέβαν στεφάνον ποσὶ καρπαλίμοισι,  
 δεσποίνης δ' ὑπὸ κόλπον ἔδυν χθονίας βασιλείας.  
 ἄλβιε καὶ μακαριστέ, θεὸς δ' ἔση ἀντὶ βροτοῖο.  
 ἔριφος ἐς γὰρ ἔπετον.

in altera lammina primi versus exitus et versus alter ita exarati sunt *χοιων βασιλῆι ευκλε και ευβουλευι και θεοι δαιμοε αλλοι*, ut suspiceris formam illi scriptori ante oculos fuisse talem *χθονίων βασιλῆες, Εὐκλε και Εὐβουλεῦ*, praesertim cum tertia quoque vocativum casum exhibeat maxime pelluentem in congerie notarum immani *βασιλαρρηκλευακα ευβουλευ και θεοι ὄσοι δμονες αλλο*. ignoramus quidem, quoniam Eucles atque Eubuleus in his monumentis tanquam duo ac diversa numina appellantur — contra in Eleusiniorum hymno *Πολυσημάντωρ Πολυδέγμων* unus prodit *Κρόνου πολυώνυμος νιός* — quid inter eos fecerint discriminis, sed liquet hunc non minus quam illum in magna Graecia creditum esse habitare sedes infernas et recludere ianuam leti. itaque eandem potestatem sine erroris periculo adsignare licet adscito ex illis oris ab Samnitibus deo *Ευκλοί*. siquis dixerit potuisse fieri ut hos fines transgressus deus etiam latius regnaret, ego minime negabo. Mommsenus (inf. It. dial. p. 133) eum cum Libero patre comparaverat, quem Romani Liberae Cererique adiungere consuerunt, cuius summum cum Cere certamen veteres dixerant fertilem Campaniam, verum adhuc desunt argumenta quibus in Oscam gentem aut in Sybaritas confirmetur cadere illud Heracliti *ωὐτὸς Αἰδῆς και Διόνυσος*.

V Ennius et Gniphō. raritate conspicuum est Gniphonis nomen, in grammaticis litteris ubicumque illud tibi occurret, M.

Antonium intelleges relatum ab Suetonio in numerum grammaticorum inlustrium cap. 7, qui Alexandriae institutus divum Iulium puerum Alexandria disciplina praeceptisque analogiae instruxit. scripserat multa, etsi Ateius Philologus duo tantum volumina de sermone latino relicta ab ipso, cetera scripta discipulorum eius esse tradidit. similitudini verborum eum operam dedisse hinc perspicitur quod marmur sic ut ebur et robur pluraliterque ebura robura marmura efferi voluit teste Quintiliano I 6, 23. Macrobius sat. III 12, 8 in aliquo volumine disputasse Gniphonem narrat, quid sit festra, quo verbo etiam Ennius usus sit. ex priscis litterarum latinarum monumentis ea qua Gnipho vixit aetate vix ullum tam assidue legebatur tamque amplam commentantibus materiam praebebat quam Enni annales, de his etiam qui cum Gniphone in professione grammatica certavit Pompilius Andronicus praecipuum opus composuerat, elenchos annalium ab Orbilio demum volgatos (Suetonius gram. 8). iam attende scholion Vergilianum georg. II 119, quod ex Leidensi codice decurtatum olim Heinsius, nuper e Bernensibus integrum Hagenus p. 724 et 896 protulit: ACANTHI. *Gnifo commentatur annalium libro decimo hanc arborem in insula Cercina regionis Africae esse opportunam tincturae, quae in floris sui colorem lanam tinguat, unde vestis acanthia appellatur.* in verbis libri variant, nam unus exhibet *commentator annalium lib. X . . . esse dicit opportunam*, in re congruunt: Gnipho commentario Enni annalium lib. X disputarat de acantho. vis doceri quo iure Enni nomen interposuerim, cur noluerim verba exigere ad regulam Tertulliani dicentis commentatorem annalium Fenestellam? Ennium decimo annali praedicasse constat, *Romanorum induperator quod quisque in bello gessit cum rege Philippo*, gesta autem in eo bello etiam haec sunt quae Livius XXXI 45 memorat: *navigantes Acanthum petiere, ibi primo ager vastatus, deinde ipsa urbs vi capta ac direpta, nec ultra progressi. iam enim et graves praeda naves habebant* eqs. (anno urbis DLIV). quae classis adversus urbem Macedonicam expeditio et victoria et direptio utcumque ab Ennio descripta est, enarraturo poetam certe non defuit de acantho arbore aut de veste acanthia commentandi occasio. Stephanus Byzantius Ἀκανθὸς πόλις Θράκης ἀκάνθαις πεφραγμένη, ὅθεν κέκληται. brevi hac demonstratione satis munivisse viam videmur ad convincendas Charisii fallacias p. 204, 32 K. *mox* inquit *Maro georgicon I 'tuque adeo quem mox quae sint habitura deorum concilia incertum est'*, ubi *Gnifo* pro cito significare ait. alii paulo post ut *Terentius 'nam aut mox revertere'*. aliud est '*mox Italus Mnestheus*'.

hinc Burmannus Gniphonem quendam Vergili commentarios fecisse sumpsit, dissensit Heynius, adsentiri ne Suringarius quidem ausus est (hist. scholiastarum lat. II p. 230). tu cum animadverteris leviter haec ac soloecae pronuntiata, Terenti versiculum dilaceratum, *ubi* particulam negligenter ac dolose adhiberi solitam (Ritschellius *parergon* Pl. p. 363), concedes opinor hic quoque veterem illum ac nobilem grammaticum significari, cuius ex Enniano commentario aliove volumine adnotatio translata fuerit in commentarios Vergilianos aut ad inlustrandum huius poetae versum adcommodata. *quam mox* quod est in Enni ann. 89 V., quo modo interpretaberis nisi *quam cito*? hoc glossema Verrius rettulit, simile ex Gniphone derivatum eruditae stipsis coactor infimus.

VI Carmen ad C. Pisonem scriptum ab adolescente mediocris ingenii qui inter cultores hominis nobilissimi ac liberalissimi modo consulis admitti cupiebat, non multis aut gravibus vitiis inquinatum est. habet sane et compositio et elocutio quae merito vituperentur, sed poetae ea culpa fuit minus XX annos nati et parum exercitati quique melius clara aliorum exempla imitaretur quam ipse nova inveniret aut inventa tractaret, librariorum paene nulla fraus carmini nocuit.

versu 22: prius annus redibit in gyrum, *quam mihi priscorum titulos operosaque bella contigerit memorare*. licuerat poetae magis idoneo uti verbo eo quod Lemairius adscripsit *numerare*, praesertim cum ante paucos versus exclamasset *quid memorare necesse est?* at enim idem parvo intervallo verbum iste iterare nequaquam veritus est (cf. *iuvat* v. 137 et 139, 186 et 190), nec fas est opinor simplicia elegantibus permutare. continuo secuntur haec *manus sed bellica patrum armorumque labor veteres decuere Quirites*, quae cum varie temptata sint ab editoribus, mihi non videntur nisi vocem interpretis requirere: res bellicae patrum istas manus quae supra dictae sunt callosae, laborque armorum veteres Quirites decuerunt.

v. 120 recte florilegium Parisinum *illi casta licet domus et sine crimine constet vita, tamen probitas cum paupertate iacebit*, in Sichardi codice aut editione *domus* intercudit nescio quo errore, sed errore. nam illo vocabulo belle indicatur sententia iactata ab epigrammatum ac saturarum poetis, clientes potentibus quosdam probari libidinum ministeriis et uxorum filiorumve impudicitia.

v. 167: si carmina nectere iuvat, Aonium facile deducis carmen, sive citharam pulsas, *dulcis Apollinea sequitur testudine cantus et te credibile est Phoebus didicisse magistro*. posterius membrum ut priori responderet, sic oratio conformanda erat *Apollineus*

*sequitur cantus*, nunc neque apte ipsa laudatur cithara translata in nomen divinum et insolenter glomerata sunt in versus orbem verba inter se male coeuntia. hoc vitium nescio an librarii admiserint, pro *dulcis* enim si substituimus *dignus*, et structura recta existit et sententiae tollitur molesta illa inaequalitas.

v. 176: *illo dulce melos Nereius extudit heros pollice, terribilis quo Pelias iuerat hasta.* in hac Schraderi coniectura non modo tempus displicet plusquamperfectum, sed ipsum verbum, quia nudum positum est, frigore ignavo torpens. quanto melius libri *terribilis quo Pelias ibat in hostem.* sane alias non omittitur nomen substantivum, Pelias hasta ab Ovidio et Pentadio dicitur, ab Homero *Πηλιάς μελίη*, tamen et potuit pars ea subtrahi quemadmodum Libs Chium Appias vocatur et intellegitur ventus vinum dea, et reapse esse aliquando subtractam ex Homericis glossis efficio talibus *Πηλιάδα τὸ δόρυ, ἰδίως τὸ τοῦ Ἀγυλλέως, καταχρηστικῶς δὲ καὶ πᾶν* (Apollonius soph., Hesychius). itaque singulare hoc exemplum non obliterandum censeo.

v. 190: *te si forte iuvat.* adiungit poeta pilae lusui callidiorum lusum calculorum, *te inutile est et incommodum, scribe et.*

v. 237: *Maecenas haut uni patefecit limina vati nec sua Vergilio permisit nomina soli*, id est nec contentus fuit unius praeconio Vergilii sed etiam aliorum libris nomen suum inserendum tradidit. Maecenas, inquit, tragicum evexit Varium, idem lyram patefecit Horati. media inter Varium et Horatium haec leguntur *Maecenas alta tonantis eruit et populis ostendit nomina Graeis, carmina Romanis etiam resonantia chordis*, quae cum alii tum Lachmannus ita corrigere studuit, ut tertii poetae appareret nomen, coniectura ut ego sentio infelici. neque enim in hunc numerum recipi debuit homo ex familia libertusque Maecenatis, nec fabulae Melissi ut sunt fere ignotae atque ipso titulo scholasticas referunt argutias, eam famam adeptae sunt ut cum Varii tragoediis Flaccique odis comparari possent, nec si Graios populos sustuleris, Romanae in proximo versu chordae quid velint intelleges. haec quoniam mutuo defendi alterum ab altero vidi, etiam in ceteris secutus libros qui fidei plurima specimina dederunt, eam expedito sententiam, quam licet ipse minus concinne intextam, minus clare expressam fatear alioque et aperto testimonio comprobari velim, tamen neque indignam hoc poeta nec rerum aut litterarum latinarum memoriae contrariam dixeris. vates Maecenatis amici et clientes si recensentur, in primis nominari par est Propertium, sextantum aut septem decenniis ab illa aetate remotus scriptor Ver-

gilio et Horatio non potuit non adiungere Romanum Callimachum. ergo hoc illis versibus voluit dicere, Maecenatem in lucem protulisse carmina insignia Properti. ipsa illa si audis verba *eruit et populis ostendit*, non meministi sic praedicari Aetia Callimachi, τοῖα γὰρ ἄμμιν ἔφηνας ἄτ' οὐ πάρος ἀνέρες ἴδμεν ἀμφὶ τοῖ ἀθανάτους (AP. VII 42, 3)? ibi poetae ipsi ea laus tributa est, hic patrono poetae quasi primo patri carminum et auctori. iam quid Maecenas eruit? *alta Tonantis nomina*, id est Iovis tutelae Augusti atque imperii Romani, antiqua haec nomina Romana fieri iussit etiam Romanis fidibus resonantia carmina ostenditque Graecis qui cognoscerent et quantumvis suae gentis gloria inflati agnoscerent. obversatus est animo scriptoris liber Properti ultimus et perfectissimus, ex quo pauca iuvat delibare. in prooemio appellatur *hospes* visens Romam, inter prima memoratur Tarpeius pater qui nuda de rupe tonabat, proponuntur canenda sacra diesque et *cognomina prisca locorum*. in quarta elegia *Tarpeiae turpe sepulcrum fabor et antiqui limina capta Iovis*, deinde *a duce Tarpeia mons est cognomen adeptus*. in decima *Iovis incipiam causas aperire Feretri*, infra *hinc Feretri dicta est ara superba Iovis*. utrum vis datur, vel nomina Tonantis vel carmina. addo de Vertumno et de Hercule scriptas elegias, nam Tonantis nomina ille summatim dixit Capitolini dei vocabulo comprehendens aetia sacrorum patriorum. itaque si recte hunc locum explanavi, fama erat Romae imperante Claudio pervolgata, Maecenatis iussu impulsuque de antiquitatibus rerum divinarum romanis Propertium talia carmina instituisse qualibus Callimachus graecas celebraverat. eamque famam cur damnemus aut contemnamus non video, invenimus fortasse quod confirmet. Simylus ille qui Tarpeiae fabulam elegiacis versibus graecis tractavit (Plutarchus Romuli 17), nescitur quis fuerit et cuius aetatis, potuit vitae annis ac ratione studiorum Maecenatem proxime attingere.

VII In ultima Properti elegia unum versiculum etiam nunc ferri mendo deformatum arbitror, de quo coniecturam licebit mihi expromere olim natam longoque tempore probatam: si minus ego aliis persuasero, fortasse alii mihi errorem eximent iam inveteratum. emeruisse se Cornelia ait generosos vestis honores, ante oculos nobis ponit tres quos pepererat liberos, pergit versu 71 *haec est feminei merces extrema triumphii, laudat ubi emeritum libera fama rogum*, denique superstiti coniugi liberos commendat. pentameter iste non spirat artem et ingenium Properti: nulla inest res, verbum nullum femininae condicionis proprium. haecine est feminae merces extrema, quae viro cuiusvis aut puero potest contingere? rogi qui-

dem emeriti laus non magis Cornelias ornat quam Titios Seiosque aut Pupos. hic femineus est triumphus, hoc summum summi honoris praemium mulieri? immo significanda erat fides ac fecunditas matris familias. atque ipsa enuntiatorum series repetitumque emendi verbum de prole et coniugalibus muneribus agi declarat. hac tenus consentio cum Schradero, vocabulum autem quod ille suasit *torum* non accipio. nullum in hac elegia verbum tinnitu aures mulcet inani: cogita, poeta quid cogitarit cum feminam fecit triumphantem: mirum ni perstitit in *ἡρώων* militari et hoc triumpho voluit referri celsissimo humillimum *laudat ubi emeritum libera fama iugum*. piget adnotare, coniugium quotiens poetae iugi nomine designent, quam facete sub hoc iugum missam laudare fama libera dicatur: permixta in libris Propertianis *iugo* et *rogo* habes III 9, 8.

VIII Antipatri Tyrii. effossus est nuper Brundisii lapis sepulcralis, cuius titulum ex Fiorelli commentariis (*Notizie degli scavi* 1880 m. Iul. p. 250, a) huc transcribo: *Philon | Antas Antipatri | Tyri filius v(ixit) a(nnos) LX | h(ic) s(itus) | Marcia C. l. Syntyche*. de specie litterarum nihil traditum est, verba notaeque nihil habent quod non conveniat saeculo Augusteo, immo rerum ac numerorum simplicitas magis illi convenit quam inferiori. manifestum est Philonem graecae originis hominem nobili ut inter Graecos genere natum esse, filius perhibetur Antipatri Tyrii. cuius nomen ac notitia usque adhuc duravit. is enim erat Stoicus, sectae scholaeque aliquamdiu princeps, Catoni Vticensi amicus (Plut. Cat. 4), praegressus Strabonem fama potius quam aevo (p. 757), anno u. DCCX a Cicerone de officiis scribente ad filium II 86 'Athenis nuper mortuus' dicitur, libros de philosophia ediderat non paucos (cf. Zeller hist. phil. III 1 p. 585). papyrus Herculensis in qua *οἱ ἀπὸ Ζήνωνος Στωικοὶ διάδοχοι* recensentur, desinit in Antipatrum Tyrium (col. LXXIX p. 103 Comp.), Laertianus Stoicorum index locum ei dat posteriorem quam Posidonio et Athenodori quorum alter eidem isti Catoni amicus erat, priorem quam Areo et Cornuto (Hermae I p. 370 s.). hunc igitur Philoni patrem fuisse concludo, filium aequalem Areo aut Augusto obiisse mortem ante a. DCCL.

Philonis sors ac vita tacetur, at vixit, certe defunctus est in eo oppido unde navigantes exire solebant in Graeciam et partes Orientis. extat in Angliam transvecta ex Bosporo haec tabula quam Iovi Vrio ventorum ac Ponti arbitro nauta laetus dicavit (CIG. 3797, Kaibel epigr. 779, Iacobs anth. gr. XI p. 409):

Οὔριον ἐκ πρῶμνης τις ὀδηγητῆρα καλεῖτω  
 Ζῆνα κατὰ προτόνων ἰστίον ἐκπετάσας·  
 εἴτ' ἐπὶ Κρανέας δίνας δρόμος, ἔνθα Ποσειδῶν  
 καμπύλον εἰλλοσει κῆμα παρὰ ψαμάθοις,  
 5 εἴτε κατ' Αἰγαίην πόντου πλάκα νόστον ἔρευνᾷ,  
 νεῖσθω τῶδε βαλὼν ψαιστὰ παρὰ Ξοάνῳ·  
 ᾧδε τὸν εὐάνητον αἰεὶ θεὸν Ἀντιπάτρου παῖς  
 σῆσε Φίλων ἀγαθῆς σύμβολον εὐπλοίης.

vides Philonem Antipatri filium, vides navalem in Pontum cursum et temptandum per Aegaeum mare reditum, unde stationem probabiliter conliges paratam in Italia velut negotiatori Brundisino: temeritatis culpae me non fore obnoxium spero, si unum Philonem dixero eum qui Chalcedone versus graecos et eum cui uxor Brundisii titulum latinum confecit. laudat carminis scriptor deum sibi semper propitium, τὸν εὐάνητον versu 7: verbum non nimis usitatum vetustioribus (cf. interpretes Callimachi h. IV 268) valere idem quod ἀνταῖον Iacobsius adnotavit. agnomen vir Brundisii sepultus fert *Antas*, rarissimum id aut unicum, contractum putes ex Antaeo. fallor an divinae laudis gratiae crescunt argutiae si statuit fixitque τὸν εὐάνητον Ἀντιάς?

Philonis carmen virtute longe superat eorum quae plerique in lapides coniecerunt salebras, aequiperat multa quae Philippus Thessalonicensis in coronam suam adlegit. forsitan sanguine ingenta ei ista ars fuerit quasi patrita et avita. Antipater Sidonius quam facile et sollerter hexametros versus aliosque fuderit, Cicero praedicat et quae supersunt epigrammata demonstrant. aetate is fere aequalis erat Q. Lutatio Catulo cos. a. DCLII et Crasso oratori cos. a. DCLIX, Meleager Gadarensis carmina eius recentia suae coronae intexuit et tumulum mortemque honorifico epitaphio prosecutus est AP. VII 428. variis clarus poematis, in amatoriis propemodum princeps, operam etiam rhetoricae dedit ac philosophiae disciplinam secutus Stoicam, cuius auctorem Zenonem ad astra viam invenisse cecinit (cf. Weigand de Antipatris p. 25, Zeller l. s. p. 570). Sidonium Cicero et omnes qui post hunc fuere scriptores illum Antipatrum ferunt. at Meleager qui solus incunabula poetae non levi nota perstrinxit sed de industria pertemptata excussit in epitaphio illo, v. 13 adfirmat per palmam in tumulo signatam denotari Phoenicem πάτραν τε μεγανυχῆ ματέρα Φοινίκων τὰν πολὺπαιδα Τύρον. cui testimonio fidem fecerunt etiam si nolueret ipsi commentatores, cum Tyriorum in nummis conspici palmam adicerent. ergo nisi quis incredibilium appetens contendet Meleagro de vita Antipatri minus quam ceterae turbae innotuisse, necessario huc

deducimur ut quem posteritas ac fama vulgaris Sidonium fecit, sive quod habitatum migrarat in urbem vicinam sive aliam ob causam, reapse ab origine fuisse Tyrium statuamus. nec quisquam opinor mirabitur si patria duplex traditur, lubet exemplum adferre Antipatri rhetoris quem epitaphio carmine Antipater Thessalonicensis ornavit AP. VII 369: *κέτι δ' ἀμφήριστος, Ἀθηνόθεν εἶν' ἀπὸ Νείλου ἶν γένος*. Tyrium Antipatrum sive Sidonium poetam maioribus natum potentibus Meleager narrat, ego non oblitus quod Theophrastus aut Seneca monuit innumerabiles esse qui eodem appellentur nomine (fr. 58 Haasei), tamen hac de stirpe generosos etiam nepotes exiisse mihi persuasi inlustrem philosophum et Musis non invisum mercatorem.

IX Anglosaxonum latina aenigmata. poeticis Symposii et Aldhelmi aenigmati Tatwinus episcopus Cantabrigiensis mortuus anno 734 et Eusebius quidam Bedae ut videtur amicus tertiam adiunxerunt centuriam, ille non ignavus metrorum structor, hic tortor diro labore perfunctus sine blanditiis. haec aenigmata primus edidit Giles in anecdotis Bedae atque aliorum p. 25 et 54, tertius Ebert in actis societatis Saxonicae philol. anni 1877 p. 31, verum etsi tria una aetate volgata sunt vilium carminum exemplaria, restant aliquot scripturae menda nec satis factum est enarrandi officio. velut in paenultimo aenigmate de psittaco paenultimus versus hic fertur *nam natura mihi Ave est vel iam dicere Care*, cum Eusebium in mente habuisse *χαῖρε* certum sit idque latinis litteris expressisse *cere* probabile, vide libros Persianos prol. 8. de bove aenigma 12 sic scriptor finivit *tota urbs pallebat signum quo verba sonabam*, editor concise 'bucina' inquit 'dicitur', certe melius erat S. Patricii ex metrica prodigiorum epitoma AL. 791 verba adnotare *vos loquitur Romae* et cetera. sed quae editori peragenda sunt partes equidem implere supersedeo, digitum intendisse contentus huc atque illuc. complura Eusebius scholasticas copias acquirens de litteris singulis aenigmata confecit, 9 de alpha, 14 de X littera, 19 de V littera, 39 de I littera. hinc optime perspicitur et quo ex studio et quo tempore orti sint illi 'versus Scoti cuiusdam de alphabeto', quos postquam ipsos quoque primi ediderunt Angli, Germani alii in aliis codicibus invenerunt et in hoc museo identidem tractarunt (L. Mueller XX p. 357, Grosse XXIV p. 614, Klein XXXI p. 465). X litteram Eusebius his verbis describere coepit: *post alias reliquas Augustus me creat auctor*, in quibus Ebertus perversa ratione *augustus* legi, intellegi Claudium Caesarem voluit, testem advocans Marcianum Capellam. mallem

meminisset Isidori qui in originibus I 4 usque ad Augusti tempora nondum apud Latinos fuisse X litteram pronuntiavit. nam Isidorum si in manus sumpsisset, etiam ab illo sibi errore cavisset quo postrema viginti aenigmata Eusebium a Plinio et Solino mutuatum esse adseverat: immo enim quae episcopus Hispalensis memoriae prodiderat, ea Anglus clericus operam navavit ut adstringeret numeris. exempla tria proferam, quia omnia persequi longum est, Isidori verba ex Gothofredi auctoribus latinae linguae transcribam:

Isidorus orig. XI 3 p. 1109  
 fingunt et chimaeram, triforem  
 bestiam, ore leonem, postremis  
 partibus draconem, media capream. quam quidem physiologi non animal sed Ciliciae montem esse aiunt quibusdam locis leones et capreas nutrientem, quibusdam ardentem, quibusdam plenum serpentibus. hunc Bellerophontes habitabilem fecit, unde Chimaeram dicitur occidisse

orig. XII 7 p. 1134  
 ciconiae vocatae a sono quo crepitant quasi cicaniae, quem sonum oris potius esse constat quam vocis, quia eum quatiente rostro faciunt. hae veris nuntiae, societatis comites, serpentium hostes, maria transvolant, in Asiam collecto agmine pergunt. cornices duces eas praecedunt et ipsae quasi exercitus prosequuntur. eximia illis circa filios pietas, nam adeo nidos impensius fovent, ut assiduo incubitu plumas exuant. quantum autem temporis impenderit in fetibus educandis, tantum et ipsae invicem a pullis suis aluntur

Eusebii aen. 52 de chimera  
 porro triforme ferum vel monstrum fingor inorme: | setiger aptavit leo rictibus ora nefandis, | postremas partes draco diras indidit atrox, | cetera forme membra dedit fera caprea velox: | cum filologi me dicunt considerare montem | nunc Cilicum capreasque leones atque chelydros | gignentem: studio virtuteque Bellerofontis | sic velut occisus dicor, cum nunc habitari | illius ingenio possum fortique labore

aen. 56 de ciconia avi  
 porro soni crepitus proprii me fecit habere | nomen. nam quatiente ferensque crepacula rostro | nuntia sum veris, multis stipata catervis, | hostis helydrorum nulum vitabo venenum, | quin potius pulli pascentur carne colubri: | equora transcendens, me ducit previa cornix, | lata cibabit multigenas has Asia turmas, | quas ego rorifluis collecta per agmina limphis | ut comites iteris habeo: sic sollicitudo | circa communis cunctis stat tam pia multos | natos sic ut alentes hos vestimine carnes | nostras nudemus, sed quanto tempore nostras | progenies nutrimus, sic et alemur ab illis

etiam hac Isidorei sermonis imitatione refellitur quod in aenigmatis ver-  
sum 8 editor Lipsiensis temere intulit *collectas per agmina*. ciconiae  
naturam brevius Aldhelmus explanavit in heptastichis n. 2, prae-  
monstravit autem Eusebio ille versus clausulam *crepacula rostro*.  
denique in bubone Isidorus orig. XII 7 p. 1136 adposuerat Ovidii  
versiculos 'foedaque fit volucris venturi nuntia luctus, ignavus bubo',  
hinc Eusebii aen. 60 de bubone sic incipit 'ignava volucris venturi  
nuntia luctus'. ceterum antiquitatis vestigia in his aenigmatis per-  
pauca insunt, memorabile mihi visum est quod de tintinno Tatwinus  
composuit n. 7:

olim dictabar proprio sub nomine Cesar  
optabantque meum proceres iam cernere vultum.  
nunc aliter versor superis suspensus in auris  
et cesus cogor late persolvere planctum,  
cursibus haud tardis cum ad luctum turba recurrit.  
mordeo mordentem labris mox dentibus absque.

Eberti sententiam qui Caesarem fortasse ex nota aliqua Tironiana  
significari Titum ait, nullo modo me percipere fateor: quoniam  
tintinnabulum olim Caesaris nomen voltumque habuisse dicitur —  
adsumptus autem Caesar est lusus gratia tanquam caesor et con-  
trarius caeso — putes aes ex quo ecclesiastici usus instrumentum  
hoc formare soliti sint conflatum esse ex priscis Romanique aevi  
signis repraesentantibus imperatorem. ultimo versu Tatwinus exem-  
plar multo vetustius parum commode expressit: de caepa enim  
Symposius 44 *mordeo mordentes, ultro non mordeo quemquam*, de  
pipere liber Vindobonensis AL. II p. LXXI *mordeo mordentem,*  
*morsu nec vulnero dentem*, mutato verbo de urtica Aldhelmus  
tetrast. 9 *torqueo torquentes, sed nullum torqueo sponte*. Nicolai  
Reusneri aenigmatographian paene delevit obliviscentium saeculorum  
multitudo, nec nostris litteris nec germanicis aut anglicis inutilem  
operam praestabit, siquis illam prudenter instauraturus ante Otto-  
num imperium facta aenigmata cuncta recognoscet.

Bonnae.

Fr. Buecheler.